



HISTORIARUM INDICARUM LIBER QUINTUS.

RECEPTA urbe Goa, provisisque iis, quæ ad insulam retinendam maxime necessaria videbantur; Albuquerqueium, quippe qui spe & magnitudine animi plura in dies & majora conciperet, variæ simul torquebant curæ. Cavendum erat in primis, ne tot undique circumfusæ nationes, nimium lætis Christianorum successibus, ac tantæ crescentis in medio molis metu compulsæ, positis intestinis inimicitiiis, contra communem hostem arma viresque conjungerent. Occurrendum Zamorini & Saracenorum consiliis artibusque, intento semper animo in perniciem Christiani nominis excubantium. Consulendum præterea Lusitanis ad Socotoram, in agro male pacato, inter infida semper & effera incolarum ingenia destitucis. Pungebat insuper animum, iniuriæ Malacensis atrocitas, & popularium salus e Sequeriæ comitatu, qui a Mahometanis admodum sæva custodia tenebantur, erantque nonnulli ex iis de Albuquerqueio privatim optime meriti. Jam, de Arabico freto obsidendo, ac Mecana & Ægyptia tollenda navigatione, haud levis erat sollicitudo. Sed ante omnia, ingentis spiritus virum Armuziani belli corrupta victoria, & amissæ tam opportunæ ac munitæ arcis dolor angebat. Cum hæc igitur & alia multa undique instarent; in præsentia, contra Calecutanam fraudem insidiasque, Malabaricum littus intentiore custodia & majoribus copiis placuit obtineri. Porro ad aliarum gentium vim & consilia præcavenda, ac partim conciliandos, partim exterrendos multitudinis animos, Albuquerqueius, orientalium Regum, aut populorum legatis, qui Goæ bis captæ fama undique exciti, ad Prætorem, ut fit, seu fiste seu ex animo gratulandi causa convenerant; ea gravitate simul & moderatione cum aures tum responsa dedit, haud inepto artificio magnificæ cujusdam ostentationis adhibito; ut incertum in omnium existimatione relinqueret, plus ne Lusitanæ justitiæ fideique, an opibus ac majestati jure tribuendum putarent. Ad hæc, Jacobo Fernando Pacensi, quem vulgi sermone Beianum vocabant, cum navibus tribus in Socotoram misso, arcem ab Acunia conditam, quando ea tanti non esset, deducto præsidio diruendam & solo æquandam curavit. Reliqua erat deliberatio: e Malacensi, Armuziana & Arabica expeditionibus, quam capefferet potissimum ac primum. Ea quoque dubitatio exempta recentibus e Lusitania litteris: quibus aperte jubebatur Albuquerqueius classe in Arabiam proficisci; & Adeni regulum aut voluntate aut armis ad Eñmanuellem adjungere: id si minus processisset; tum idoneo quopiam loco arcem ædificare, quæ Mahometanis classibus omnino transitum intercluderet. Igitur navibus viginti

ginti